

IO· FROBENIVS SO·

DALITATI LITERARIAE SELESTADIENSΙ,
NOMINATIM IO. SAPIDO, IO. RVSERIO
IO. PVRLETO, IO. CASTANEO, PETRO
ADIVTORI, IO. MAIO, IO. RE-
STACIO, SALVTEM D.

FELICITATEM Selestadij s̄epe mecum demirari so-
lo, quippe semper habet tantum melioris eruditionis stu-
diosorum; quantum etiam in quibusdam academijs uix sit
reperire. magna hæc profecto Selestadij dos, unde tan-
dem accidat. Quid ni autē id deo opt. max. feretur acceptū,
qui istum locum studijs incomparabiliter explendescere ue-
lit. Versamini uos nunc in optimis literis, Græca & Hebrai-
ca meditantes studia. Docet Io. Ruserius magna diligentia,
candore summo. Quantum hic improbo labore in Græca-
nicis adsecutus est: ut nō minus in Poëtis exponendis prom-
ptus sit, quam in oratoribus. Neq; uero minor uobis Latinæ
linguæ cura, cum non exeat dies, in qua Plinianam lectionē
cum Ciceroniana nō coniungatis. Apuleios, Sidonios, Ful-
gentios, Pios nunquam in manus sumitis: nam scitis quem-
admodum anno superiori Roma Baptistam Pium delicias
suas, Osci & Volsci dialogo quem legistis, Ludis Pontifi-
cij publice recensito, ὥσπερ ἐξ ἀμάξης, riserit. Quin emulabū-
di suspicite Cæsaris elegātiā & candorem, Columellæ flo-
res, & nitorem Celsi, Salustij breuitatem & grauitatē, uber-
tatem Liuij, Taciti pressum dicendi genus: & ut ad recen-
tioreis ueniam, Hermolai diligentiam & antiquitatem, Poli-

tiani nitorem, Erasmi uenustatem, lucem, suavitatem, & acumen. Proinde ut institutum uestrum rectissimum, & iudicium acerrimum adiuuaremus, Hadrianum Cardinalem De sermone Latino, & modis Latine loquendi, typis nostris excusum ad uos misimus. Nihil enim aliud diu noctuque cogitamus, quam ut studiosis pro simus. Adiecimus eiusdem Sylulam ὁδοιπορικὴν, qua Iulij Pontificis iter describit, feliciter imitatus Horati Satyram, cuius initium,
» Egressum magna me exceptit Aricia Roma,
» præterea carmen de Venatione, tam eruditum & numeris
» omnibus aequali solutū, ut sint in doctis, qui illud antiquum cre-
» dant, & non huius temporis. Sed memineritis Hadrianum non tam Cardinalitia dignitate, quam etiam doctrina, supra uulgarem hominum sortem magnum & eximium.

Salutate præcipua sodalitatis uestræ decora, Dnn.

Abbatem Paulum Volzium, Iacobū Vuim-

phelingium, & Martinum Ergershemum

Sacrorum antistitem. Bene ualete,

Basileæ. Sub Nonas Iunias,

AN M. D. XVIII.